1X

APOSTROPHE

AD

Idaliam Matrem

DE

Redivivo CÆSARE,

Sereniſſimo, Invictiſſimoq;

CAROLO II.

Britanniarum Monarcha, &c.

Occaſione Statuæ in REGIO Londinatum Excambio poſitæ.

AUTHORE

T. Ramſæo Lituano.

LONDINI,
Typis *Johannis Darby*, Impenſis Authoris. MDCLXXXV.

Ecce! redux CÆSAR, laurô post funera cinctus,
Frondibus Europam, Pergameosq; tegit:
Arbitrio suo, geminatum dirigit Axem;
ANTONI quamuis munera, ROMA, negis.
ROMA Vale! REGI, non audes tollere laurum,
Etsi Tarpeje, des Diadema, JOVI.

Vid: Suet: in vi. Cæs: num: 79 80.

Celsissimo PRINCIPI
Ac DOMINO
CHRISTOPHORO
Albemarliæ DUCI, Illustrissimo
Academiæ *CANTABRIGIENSIS*
CANCELLARIO, &c.
UT ET
Eminentissimis Almæ Matris
PROCERIBUS

ΕΥΠΡΑΤΤΕΊΝ.

ARTE nullum esse dulcius in vita solatium, cum bonos improba fortuna divexat, *Amphidis* est apud *Stobæum* sententia, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, Eminentissimi Heliconis Proceres. Non ego illam, de qua *Nero* τὸ τεχνιὸν πᾶσα γαῖα τρέφει, Artem intelligo (tametsi & hæc, dicente historico, Principi grata, privato necessaria esse possit) sed quæ altissimis in animo sapientis defixa radicibus, est ad omnes fortunæ *Suet. in Vit. Ner. num.* 40.

Menand. tunæ vices valida, & ut quidam, βακτηρία τοῦ βίου, *Vitæ* (ad triſtiora declinantis) *SCIPIO.*

Quâ etenim, niſi Artis ſubnixi fiducia, contemnunt, *Syracuſas Dionyſius*, *Athenas Socrates*, *Carthaginem Regulus*, totq; innumera Philoſophorum pectora, Lanienas?

Suggerat forte quiſpiam, eadem poſſe etiam ab inexcultâ *Pertinaciâ* proficiſci, tamen illic facti *Cynoſura* deerit; quæ, cum nonniſi à pietatis in rerum facinore conſcientia dependeat, haud eſt vel quærenda, vel repetenda à talibus, quos non excoluit *Sapientia*, ſed obfirmatiſſime moroſos, *iratior Natura evomuit.*

Equidem arduum eſt, ad *ſummum* Sapientiæ pertingere *faſtigium*, utiq; extra metum omnem, & in certâ ſecuritatis poſſeſſione poſitum; licebit tamen, tanquam recenter *inaugurato*, ſupra quam in ipſius *Viciniâ* conſiſtere. Quiſquis enim rerum naturam, vitæq; legem protrahere conatus; accidentia non ſecus ac imperata excepit; dubias ſuſpendit, falſas repulit, veras debitâ æſtimatione opiniones proſecutus eſt: Quiſquis imperium imperio ſui, ſuperbam fælicitatem contemptu, voluptatem trutinâ rationis, omne deniq; bonum, honeſtate non lucrô terminavit; is ſanè, tametſi forte attigiſſe ſummum clivum dici nequeat, haud tamen in itinere defeciſſe cenſebitur.

Si igitur Veſtrâ, PRINCEPS & Academici, veniâ, ultimæ ſapientiam profitentium claſſi, nomen mihi dare

dare licuerit, (Cytharædus n. non ſum) nequaquam mirum videbitur, quod in omnimodè ſiniſtrâ rerum mearum Cataſtrophe, ab *Arte* contra *Fortunam* ſolatium quæſiverim. Quantumvis enim tenuitatem meam minimô exornet ſatellitio, attamen, prout hujus etiam virtuti, fidere imperavit, ita vetuit, nedùm evitare liceret, decus & ſalutem utriuſq; in ambiguo deſererem. Proinde in ſequentem ſeſe quadantenus intendens *Apoſtrophen*, duplici coram vobis apparuit *Argumento*.

Manet apud me accepti beneficii memoria; Tu ſiquidem Celſiſſime PRINCEPS, Vos etiam Excellentiſſimi Academiæ PROCERES, (eodem ſtimulo) veſtrâ me ornâſtis liberalitate, eoq; pacto, qualicunq; ſapientiæ alumno, illud aurei noſtri *Stoici* impreſſiſtis, *Nihil eſt eo miſerius, cui excidunt beneficia, hærent injuriæ.* Seneca.

Debebatur quapropter vobis publicum non intermorituræ gratitudinis teſtimonium; quod, quandoquidem *purpuratis* dicandum fuit, præter *purpuram*; inter *purpuratos* autem, ſupra *Cæſarem Britannicum*, nihil potuit reperire *ſublimius*.

Deſiderabat etiam circumſtantiarum mearum ingenium, ut ſupremam hanc requiſiturus manum, (primô quippe verê, annuente Numine, nullo niſi mortis obſtaculo, patriâ arcebor) non inferiorê quam tanti Cæſaris, litarem auſpicio.

Ab

Ab arte igitur (cujus præſens indoles, temporis & conditionis, vellem menſuraretur anguſtiis) ſuffectum mihi, hocce gratitudinis, æquè ac ulterioris ſtimuli argumentum, benigno excipere dignemini animô, Summi Muſarum Antiſtites, Philomuſorum Mæcenates optimi : Vobiſmet equidem ipſis virtutibuſq; veſtris, forent debitæ Panegyres ; aſt etiam hic, uſurus *Artificio*, iſthâc Clementiſſimi Regis *Icone*, quam propriis veſtris Imaginibus, & *conſpicuos*, & *lætos*, & *ſuperbos*, Vos eſſe voluit ac velle debuit,

Veſter,

Illuſtriſſime PRINCEPS,

Eminentiſſimi Academiæ
PROCERES,

Æternum Obſtrictiſſimus,

T. Ramſæus Lituanus.

MONI-

MONITUM.

OMnî TE levaturus cunctatione, LECTOR, quiſquis es, Eminentiſſime; intimandum duxi, alluſivam hanc Apoſtrophen, ſuper SERENISSIMI REGIS infra Statuam adpoſito Epiteto (quippe CÆSAR BRITANNICUS dicitur) fundari. Cum etenim Maternum Æneas genus refuderit in VENEREM; Cæſar, ab eo originem trahens, itidem ab Aurora (unde & in vertice Aſtrum) incunabula arceſſere non dubitavit. Factâ igitur aliquâ tacitâ (in quantum res ferebat) utriuſq; comparationê; ſqualorê eam, pallorêque, ob fata Cæſaris, obſitam ſupponens, ad lætiora evoco, docens, æque vivere Cæſarem, ac ſpe perennandi vivere; cauſas ſimul & fulcra atq; momenta, tam meritæ fiduciæ, ſtrictim percurrendo. Londinum, ex Antiq. Annal. appello Trojam novam, (Troy novant) proinde Londinenſes, Pergameos, &c. Hæc TE monendum putavi.

Vale Lector, & benè precare REGI.

IX

Apoſtrophe, &c.

SUrge *Venus!* cur mæſta jaces? *Paphiisq;* relictis,
Cultibus exutam, deploras *Cæſare*, mentem?
Haud roſeas populata genas, *pallentia*, Cœlo
Sydera deproperes; nec mergas fluctibus *Idam*.
Vivit enim neque eſt conſumptus cuſpide CÆSAR!
Vivit! & ingentis populum videt *orbis* in *Urbe*,
Tarpeioſq; *JOVES*, & perfida ſaxa relinquens,
Priſtina nunc ſinuat *recidivæ* mænia *Trojæ*.
Vivit Io! Sceptroq; potens, hinc conſpicit *Anglos*,
Hinc *Italos*, illinc *Ararim*, *Tigrimq;* minacem,
Hinc *Rhodanum*, *Pontumq;* videt, luteamq; *Mæotin*,
Auriferumque *Tagum*, vel quos tulit ultima *Thule!*
Auſpiciis tantis major, meritiſq; Trophæis
Quam, cum parerent timido Capitolia *Bruto*.
En ſtat nunc in Corde FORI! Pallaq; reducta
Nil nocuiſſe ſibi, fixum Capulotenus Enſem
Exhibet, et *dubiæ* ridens tentamina *Romæ*
Non eget inſontem, vittis obvolvere Laurum.
Hunc etenim vel *Roma* velit ſibi reddere *Regem*
Cumq; *Catone* furens quicquid populariter auſa eſt,
Hocce foret contenta *Numa*: qui *Victor*, eaſdem
Victis, quas propter voluerunt *vincere*, Leges
Impoſuit: *quamvis terris dominetur & undis.*
Surge *Venus!* Prolemq; tuam, quam *Dardanus* orbi
Intulit, aſpicias! Non indignata videbis,
Magnificis ut forma genis; ut frontis honorem

Præferat ; ut clemens pectus, præstruxerit altâ
Majestate Manus : Non unquam lumine tanto
Cretenses micuêre Dii : Nec Juris & Æqui
Exstitit ISTE minor, postquam *Saturnus* in altum
Pulsus, ab *Atlantis* suspendit vertice *Sydus*.
Dic ! an in obliquo, quicquam datur æquius orbe ?
Quam Rastris tribuisse *Togam* ? Non *Pluto* refulgens
Gradivusve Pater ; nec *purpura* tardat *Erynnin* :
Nam solâ stat *Pace* Vigor ; nec nonnisi *Pace*
Fundit Humo facilem victum Justissima Tellus.
Bella nefas generare solent ; *dispanditur* Orbi
Tam multa *scelerum* facies per Bella : Nec ullus
Dignus honos *Cereri* : Disperses *Arva* Colonis
Squallent ; & *placidis* spoliantur REGNA *Triumphis*.
Dic ! an in obliquo quicquam datur æquius orbe ?
Quam *Numen* coluisse satis ! quam *Thuris* honore
Per medias *liquidum* nebulas suspendere *Cœlum*,
Et fulcire *sacris* pulsantibus æthera *saxis* ?
At tuus hæc *Dictator* agit ! Cui *Porticus* aurô
Conspicuas *Phœbea* jubens attollere *Laurus* ;
CÆS. Imper. & PONT. M. vid. *Suet.* Quem *Regis Diadema* monens stabilire quietem,
Telluri suffecit *Aquas*, Altaribus *Ignes*.
Quid ? quod in obscuris quando *Nova Troja*, ruinis
Luxit mæsta, diu fumans ; dum *Regia* Cæli
Consternata metû, plus, magnâ parte receſſit :
Et *Tamesis* Raucæ nequicquam flêre sorores
Vid. Suet. in *Vita* Neronis. Terribili squalore putres : Tum Cæsaris ardor
Non *flammâ* lætatus erat, nec Vertice Turrris
Scenicûs ora ferens, geminaverat ἀλωσιν *ILI* :
Sed Clemens, *suppressa* videns, Decora alta Parentum
Sustulit, & *Lateri* suffecit nobile *Marmor*.
Esto, licet ; Fatis consurgat ad avia *Pinus*
Postquam vulsa fuit ; fatis, sublimior, *Arcton*

Magni-

Magnifico ſubvexa modô, pulſaverit ; Ultro
Fonte tamen, pluviiq; viret, *SATURNIDIS* amne.
Qualiter *incluſus*, cum Phœnix ſurgit, *Amomo*,
Aut renovare ſolens pennas, *Jovis* Armiger alti,
Non *Virtute* ſuâ calidus, mala *damna*, reſarcit
Fulgentî ſed *Sole* potens : *Adſtantibus Aſtris.*
Surge *Venus !* ſuperata jacet, *Fortuna* ferendo,
In melius jam *verſa Rota eſt* ; ſic vortice Divum
Alternis mundana ruunt, faciemq; madentem
Excipiunt, *ſicci*, laxo pulmone, *Cachinni.*
Jam non excubiæ, non circumſtantia tela,
Sed tutatur Amor populi, Capitolia REGIS,
Officiis partusq; *Fidê :* Jam Sceptra, *volentes*
Regunt, & *Bonitas* nullo *terrore* coruſcat.
Nam *Terrens*, *plus ipſe timet* : Dat blanda poteſtas,
Quod violenta nequit ; Mandataq; fortius urget
Imperioſa quies : Sed, ſi fors Sydere Lævo
Nonnullis, *cineres* viſum renovare *priores !*
Eſt notum, ſimul iſta Deos poſuiſſe, *CORONAM*,
Ac *ODIUM* ; quod, cum ſummum *Diadema* ſequatur
Umbra velut *Solem :* Quid ? nonne ſerenus *Apollo*
Deſpicit, *Elumbes*, ſupero de tramite *Conos ?*
Fortunam mens magna decet ; deriſa *Megæra*
Reſſilit ; & crebro fit magnum *Culmen* honeſti
Diſplicuiſſe malis : Lævo quoq; *Jupiter igne*,
Ambiguum ſtabilire ſolet, ſolet * *Omen IULI.*
Plus *Genitrix !* narrabo tibi *(depone querelas)*
PRINCEPS, in *ſuperis* quod ſit *fortuna* luenda
Novit ; novit etiam *non*, unquam *Numina* læſa
Parcere prætextæ *CASUS* ; ſcit vulnus iniquum
Poſt cuncta tentata prius ; nec *mollibus* armis,
Nec demptô, *ſanum* reddi potuiſſe *Cyclopî.*
Aſt etiam novit, quod ſors malecuncta miniſtret,

Vis.

* Æneid. 2. *Intonuit Lævum.*

Vis ubi, ubi miſeras inimicant Impetus urbes.
Feſtinans, non tuta ſapit, qui *Tempora* magnis
Conſiliis, factisq; ſuis, pro *Præſide* ſanxit
Ille, *Jovis* virtute vigens, non (*Auſpice Cælo*)
Immatura, ſuis, metuit fundamina, Rebus,
Nec ſemper nocuiſſe putat; *Differre paratis.*
Scit *Navem* nimiis, *diſtentam carbaſa*, ventis
Tænario ceſſiſſe patri; Scit rurſus, *eandem*
Sæpe *relaxatis* ſuperaſſe furentia *velis*
Æquora; ſcit liquidas, *ſtando*, domuiſſe querelas.
Inde decus *REGIS* defendit, *Tempore*, quôcum
Servaturus Honos *miti* per Compita *Sceptrô*;
Vincit *inexcultas* moderatis viribus *Iras.*
Forte cadit *Phaeton*, fors *Icarus* abditur undis
Hæc, *ſuperum, caruere dolis:* Non fulmine Cæli
Eridanusve ruit, vel præceps *Dædala proles*,
In *tremulis* liqueſcit *aquis:* Sua *Fata* cierunt,
Is currû ſuper *Aſtra* volans, *Is* præpete *pennâ*
Addas, *Cæſar* amat, cauſâ non cæde Quiritum
Quærere, non minus ac majorum parta tueri:
Ut, ſi *Sicaniis* adigatur ſtridere *tortis*
Debeat, &, nudum ~~dextram,~~ propalare *Pyracmona* dextram.
Magnos (ut *STATOR*) qualeſq; *Volumine* tectos
Antiqui dixere *Deos*, ad culmen * Olympi
Convocet; & placitis illorum *temperet* ictum:
Gnarus ubi ferienda patent; Non *Palladis* artes
Conſiliis, ſatis eſſe ſuis; non *Numen IULI.*
Et, ſi fors *humilem*, magna ad *faſtigia* rerum
Extulerat, quoties, voluit *fortuna* jocari
Huic, nec *parta* quidem, nec tradita ſemine virtus
Si nunquam ſervata fuit? Cecidere *liguſtra*
Acceptum poſitura decus! cecidere *corollæ!*
Venaleſq; manus, luſtrarunt ſydera, *palmis.*

* *Vid.* Senec. *Nat. Quæſt. l. 2. c.* 41, 43.

Attamen

Attamen hic etiam cernas, velut arte *repoſtum*
REX, *verum*, (*per ſe*) ſummis eduxerit umbris!
Non *aliena fides* normam dictare *Coronæ*
Fortis erat; *Lynx ipſa fuit*: (Nam certior *auræ*
Arbiter eſt *oculus*) diſtinxit lumine *Matris*
Quicquid Cimmeriis, ultrò citroq; Tenebris
Miſcuit *Alecto*; quicquid ſuffuſa venenis
Exſpuit in placidum ſinuoſo vulnere, pectus.
Hinc laniis temerata fides: hinc pectora (quæſtû)
Nunc (olim diſtenta) ſilent: Urnâq; SENATUS
Moribus, & *Stygiæ* properatur fibula *linguæ*
Conticuere omnes, quotquot peccare coegit
Flagitium, & duris urgens in rebus egeſtas,
Queîs nec fronte decus, nec partum *crimine*, Crimen.
Cerberus ecce jacet! rabidæ tremuere *Sibyllæ*,
Depoſuitq; minas multum lætatus *Avernus*:
PAX etenim rediens *portâ* fulgentis *Eburni*
Rettulit ad Britonas, *pinguem Tritonide*, Ramum.
Eſt *PRINCEPS Medicus*: non *funera* multa *medentes*
Nec *Regem Mors* multa decet: *Diademata* REGUM
Obſequiô fulgent; imò *Clementia* ſæpe
Conceſſas *tranſire* poteſt, ſine crimine, *metas*:
Sola manens, cui, ſalva, queat concedere PALMA.
Talis ſponte tuus (Genitrix!) eſt Cæſar utrinq;
Dum, *Sapiens Conſtansq*; ſimul nec *credere famæ*,
Nec ſtudet explicitum quicquam *fædaſſe* litura:
Sponte moderatus *MAGNUS*; Legisq; ſupremæ
Et *Pater* & *Cuſtos*: Hôc fulgens CAROLUS * *aſtrô*
Non fiſcum *ſplen*[em] eſſe cupit, *tabeſcere* non vult
Hôc auctô, reliquos (cum murmure) corporis *artus*:
Nam veluti *Civis*, Rerum Regniq; ſalutem
Submiſſô ex *populi*, geſtit ſuſpendere, *votô*.
Non habet in *pretio pretium*; Nec *Cenſus* honores

* *Simulachrô Cæſaris in vertice additur ſtella.* Suet. *in Vita, num.* 88.

Sed

Sed *virtus tentata* refert: *Virtute* parantur
PRÆMIA: ſollicitis agitantur *Crimina PÆNIS.*
Hoc ſtat, [*Caſta Parens!*] geminato poplite, Cæſar,
Emathiiq; Ducis, priſcô *Thorace* coruſcus,
A *fronte* innocuum *defendens*, *Numine* pectus
Ætheriô, retro ſubnectit * *milite* Pallam.
Surgas *Læta Venus!* Poteram tibi dicere plura,
Bellonæq; vices *fusè* numerare: Sed illa
Sunt *perſpecta* ſatis: Nec partum *fulmen*, amore
Mulciberi, caruit viribus! Scit *Belga*, *Marocco*;
Allobrogeſq; ſciunt: Verbo, *ſcit Phœbus uterq;*
Sat monuiſſe fuet: *Tranquilla Exordia fatis*
Vix poſuiſſe Deos: Satis eſt, quod veſcitur aurâ
CÆSAR; quodq; *novo* faciens Te *Lumine* lætam,
Oſtendit; *Regum rarò violabile Numen.*

* *A fronte Thoracem Rex indutus apparet, ubi alluditur ad* Alexandri *Thoracem ex ejus conditorio a Romano Imperatore deſumptum. A tergo, fibulæ loco, pallam, ſpecies angeli ſubnexit in eadem ſtatua.*

FINIS.